



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**De Monstris Et Monstrosis, Qvam Mirabilis, Bonvs, Et
Ivstvs, In Mvndo Administrando, Sit Devs, Monstrantibvs**

Stengel, Georg

Ingolstadij, 1647

§. 1. Homines quosdam à malis spiritibus verè insideri.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51168](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51168)

CAPVT XIII.

Cur, & quàm monstrosos diaboli faciant
eos, quos insident?

§. I.

Homines quosdam à malis spiritibus verè
insideri.

Venio ad alterum modum, aut spe-
ciem monstrosorum diabolicorū.
Neque enim ipsi duntaxat hor-
rificè monstrosos se se mortalibus aspi-
ciendos exhibent, sed etiam admodū mon-
strosos faciunt energumenos, in quos in-
grediuntur. Hoc antè, quàm demonstrarem,
prius ostendendum est, an Spiritus isti, &
quomodo in homines intrent? Sunt enim,
qui cum Leuino Lemnio putent, energu-
menos, qui à dæmonibus possideri dicun-
tur, naturalibus tantum morbis laborare,
non verò à dæmonibus possideri. Sunt qui
animas quasdam jam olim defunctorū ar-
reptitios inuadere arbitrentur. Priores er-
roris arguit, quòd nulla morbi vis doce-
re homines possit, vt omniū gentium lin-
guis loquantur. Audimus enim simplices,
rusticos, illiteratos à spiritibus his infessos

Leuin.
Lemn. l. 2.
de occulto
naturæ
cap. 2.

E e 2

nunc

nunc Latinè, nunc Græcè, nunc Hebraicè,
 nunc alijs idiomatis conuicia iacentes.
 Quis morbus est, qui futura, aut absentia
 mortalibus patefaciat? Ex energumenis
 autem talia intelliguntur, vti & occulta
 astantium peccata non rarò propalam re-
 uelantur. Denique quis morbus tantas
 ægroto dat vires, vt eum catenis astrictum
 vix quatuor validis lacertis viri possint co-
 hibere; aut etiam vt è templi pauimento,
 per aërem, vsque ad fornicem summum
 tholámue se se queat extollere? Ægrotat
 profectò mente, quisquis hos effectus mor-
 bis naturalibus ascribit. Posteriores au-
 tem, qui animabus defunctorum hæc at-
 tribuunt; eodem argumento confutantur,
 quis enim illis hanc futura cognoscendi
 vim tribuit? quis linguas docet? Et verò
 vel animas separatas fateri, est concedere
 spiritus, qui si ad corpora pertinentes, sine
 corpore existere possunt, quanto magis
 existere poterunt, sine corpore, Spiritus ad
 corpora non pertinentes? Plura contra
 hos cumulat Tostatus argumenta.

Tostatus
 Abulens.
 q. 124. in
 cap. 8.
 Matthei.

§. II.

Idem è sacris litteris docetur.

Sed contra vtrosq; experientia quoque,

&